



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1714**

Q. 34. Quid circa hæc præterea sit notandum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42682**

»lierum, iuvantes, faventes. 4. In cogentes con-  
 »trahere Matrimonia cum præscriptis. 5. In  
 »magistratus, qui requisiti non juvant Episco-  
 »pos ad restituendam vel conservandam clau-  
 »suram monialium. 6. In ingredienti (cujus-  
 »cunque conditionis, vel sexus fuerint) mona-  
 »steria Monialium, sine licentia in scripto ob-  
 »tenta. 7. In cogentes mulierem ingredi mona-  
 »sterium, & profiteri. 8. In impediendes, sine  
 »iusta causa, sanctam voluntatem mulierum  
 »emittendi votum. 9. In dominos temporales  
 »concedentes in terris suis locum pro duello.

## A D D E N D A.

294. **Q**uest. 34. *Quid circa hæc præterea sit notandum.*  
 R. §. 1. De Religioso, qui temerè dimittit  
 habitum dixi l. 4. à n. 207. De alienatione bo-  
 norum vel rerum ecclesiasticarum, ibid. à num.  
 1363. De artibus, officiis & actionibus, quæ  
 Clericis prohibentur, à n. 1370. De libris sine  
 licentia impressis dicam adhuc. De ingre-  
 diente clausuram Monialium, dixi l. 4. à n. 66.  
 Hic notandum est, quamvis prohibitio *Trid. sess.*  
*25. c. 5.* De Regul. ne quis ingrediatur in sepe  
 Monialium, sit sub pœna excommunicationis  
 ipso facto incurrendæ, & excommunicatio hæc  
 non sit reservata per *Trid.* attamen teste *Beja, p. 1.*  
*casu 30.* est Papæ reservata per *Pium V. & Greg. XIII.*  
 ubi horum Bullæ sunt notæ & receptæ.
295. §. 2. Sub excommunicatione prohibetur læ-  
 cis, ne disputent de fide Catholica cum hære-  
 cis, Cap. *Quicumque*, §. *Inhibemus* De hæreticis  
 6. Similiter Clericis regularibus, Can. *Cum qui-  
 bus* 24. q. 3. junctâ *Gl. V. certamen.* Per hæreticos  
 intel-



intelligit *Sanch.* in Decal. l. 2. c. 7. n. 12. qui sunt vel aliquando fuerunt Magistri erroris : & prohibitio intelligitur de imperitis laicis vel Clericis, ubi enim Catholici mixti sunt cum hæreticis, secluso periculo perversionis licitum est discutere, & in Germania saltem Canones illi observaverunt, *Becan. Krim.* n. 644.

## ARTICULUS II.

296.

*Quæ sint excommunicationes reservatæ  
Episcopis.*

**R**esp. Sunt hæc. 1. Quæ contrahitur ex levi percussione Clerici : vel gravi, si sit mulier. 2. In eos, qui absoluti in articulo mortis (à censura, vel peccato habente censuram annexam) ab eo, qui aliàs non poterat, non presentant superiori se, postquam convalescunt. *v. Fill. t. 15. n. 241. & 242.* 3. In Fratres Minores, si admittant in suis Ecclesiis ad officia divina Fratres tertii Ordinis. 4. In procurantes abortum fœtus animati, effectu secuto. 5. In eos, qui communicant in eodem crimine cum excommunicatis ab Episcopo. 6. Ex omnes, quas ferunt Episcopi per propria statuta, & sibi reservant, quas Confessarii videant in Agendis.

## ADDENDA.

**Q**uest. 35. *Quid præterea hic sit notandum.* *R.* Nichil occurrere. De excommunicatione ob abortum fœtus animati, dixi l. 3. p. 1. à n. 822. 823. Quid sit communicare in eodem crimine cum excommunicatis, dixi.

ARTI-